

בְּאֵלֵהֶם:

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

PRÆDESTINATIONE,

*Quam indultu pl. Rev. Facult. Theologicae*

*sub Præsidio*

MAGNIFICI,

*Admodum Reverendi, Amplissimi & Excel-*  
*lentissimi*

Dn. JOHANNIS HULSEMANNI,

SS. Theol. Doct. & P.P. Facult. Th. Decani, Consistorij

Electoralis hinc Lipsiæ Assessoris, p. t. Rectoris, ad D. Nicolai

Pastoris, Can. Ciz. Dni, Præceptoris ac Promotoris

sui æternùm devenerandi,

*Publicè proponit*

M. JOHAN-CHRISTIANUS Eichhorn/

*ss. Theol. stud.*

ad diem Octobr. Anno 1647.

---

LIPSIAE,

Literis RITZSCHIANIS.

Coll. diss. A  
182, 16

244. A 182 (16.)

~~XXXV. 5.~~

3

1777

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

PRÆDESTINATIONE

Summi inductum pl. Rev. Facult. Theologicae

sub Præsidio

M A G N I F I C I

Admodum Reverendissimi Amplissimi & Excel-

lentissimi

Dr. JOHANNIS HULSEMANNI

ss. Theol. Doct. & P. P. Facult. Theol. Decani, Consistorii

Electoralis Historiae Professoris, ad D. Nicolai

Pastoris Cur. Civ. Dni. Praeceptoris ac Promotoris

huiusce tenoris deventurandi

Publicè proponit

M. JOHANNI CARLSTAMNUS GIBBONI


ss. Theol. stud.

addem. Ochober. Anno 1777.

LIPSIÆ,

Jacobi RITSCHEI A. M. S.





I. N. J. A.

**Q**uod D. olim Augustinus de mysterio Trinitatis est professus, illud haut incommode ad negotium præsens accommodari posse puto: Articulo videlicet Prædestinationis & Reprobationis quæri nihil laboriosius & periculosius. Licet enim multa hoc ipso in doctrinæ capite obveni- ant, quorum ignorantiam tutius sit profiteri, quàm scientiã simula- re, teste alibi eodem: inde tamen non est ut ab eo penitus averta- mus oculos, aut levi saltem brachio illud tractemus, si detestandæ ac abominandæ tum impietatis tum ingratitude notam subter- fugere velimus. Quicquid igitur obstrepant insanæ ac vesanæ mentis homines de occultandâ istâ doctrinâ & intermittendâ, nihil nos moratur, quin & idiotis in templis, & in Scholis literatis eã pro- ponamus, explicemus. Relicta nobis est scriptura universa omni- bus, ut eandem quâ privatim quâ publicè meditemur; Et nemo non de facili cognoscit, illam hujus esse partem. De utilitate si veli- mus loqui, foret ipsa præfatio prolixior quàm theses, unde ortho- doxos videas authores. Nos ut occurramus secus sentientibus, & quod nostri est instituti peragamus, meditationem de svavi atq; gravî hoc articulo ritè esse auspicandam, præsupponimus. Quippe non est inchoanda à priori, h. e. ab arcanâ Dei voluntate, ut curiosè atq; superciliosè in eandem cogitationibus circumferamur; cum sit is imperscrutabilis Rom. XI. 33. & Lutherus ajat: *Cum Deo abscon- dito hæc agere pomum illud est, in quo primi parentes nostri mortem vo- rarunt, quod scire voluerunt ea quæ scire non debuerunt.* Neq; ex ra- tionis humanæ sententiã, cum eadem sit coeca & infirma in spiritua- libus Rom. IIX. 6. 7. I. Cor. XI. 14. II. Cor. III. 5. Eph. IV. 17. 18. 19. atque sic mergantur in profundum, qui post cogitationes suas eunt & lo- quuntur de profundo DEO: Fatente Augustino serm. 7. de verb. Apost.

A a

Neque

Neque ex doctrinâ legis, ut quæ iram operatur *Rom. IV. 15.* quæ arguit peccata & accusat *Job. V. 15.* Ex quâ denique maledictio *Deut. XXVII. 26. Galat. III. 10.* Igitur potius Evangelium est consulendum & doctrina illa gratiæ, in quâ solâ per Filium enarrantem *Job. I. 18.* gratiosa DEI Patris voluntas & mysterium salutis nostræ à seculis absconditum *Rom. XVI. 25. Col. I. 25.* detegitur ac revelatur *Matth. XI. 25.* Ut ergo & nos de materiâ istâ in thesi Orthodoxâ, tum ad DEI gloriam, tum ad ædificationem nostri *ἡμετέρας* aliquid dicturi, sobriè modestèque procedamus, neque extra limites sacri Evangelii, neque extra ordinem vagemur, esto cum DEO Trinuno Benedicto in secula.

DE  
PRÆDESTINATIONE

§. I.

**P**Rædestinare quoad quid nominis, in genere est aliquid ad certum finem per certa media ordinare atque destinare, priusquam id eveniat; hoc loco ad salutem credentes. Græcè *προορισμῶν* (cum *ὄρος* sit idem quod terminus ac finis) est quasi prædefinire, aut prius determinare & in antecessum ad terminum certum seu finem dirigere ac decernere, ita ut media simul ad finem ducentia constituentur. Valde igitur hæc vox emphatica est, notans tum prioritatem alicujus durationis, in collatione æternitatis ad tempus, ita ut prædestinatio nihil sit aliud, quam æterna destinatio, quæ tempus omne antecessit; tum & dignitatis, in respectu personæ ad personam, quando præ aliis alia est imprimis electa; tum denique deliberatæ intentionis, quâ quid certo modo ad definitum finem destinatur. Finis autem cum semper habeat rationem boni, & cum eo sit reciprocabilis, non poterit non a scripturâ vocabulum *προορισμῶν* pro electione filiorum DEI ad salutem tantum usurpari. Quamvis enim destinationis ad interitum seu Reprobationis terminus quoque sit bonus resp. DEI, cujus est actio; attamen haud respectu damnatorum. Et licet *Aug. lib. 15. de C. D.*

C. D.

C. D. c. I. & in Enchir. c. 100. Prosper Aquinat. Resp. XIV, & XXI. ad cap. Gallor. & alii Ecclesie Doctores voculam prædestinationis etiam opposito accommodent, attamen locus scripturae, in quo significationem hanc obtineat, invenietur omninò nullus.

§. 2. Est autem Prædestinationis vox ὁμώνυμος. Nam ut taceamus malè hanc ad Christum trahi à Latinâ vulgatâ, quæ Rom I. 4. Prædestinatum (in Græco est ὁμοθεός pronunciatus, demonstratus atque declaratus) DEI Filium appellat: Rectissimè vel latè accepta tribuitur providentiæ divinæ sese ad omnia extendenti, & significat DEI de omnium rerum administratione ac gubernatione decretum, ceu videre est Act. IV. 27. 28. C. XVII. 26. I. Cor. II. 7. vel strictè, solis hominibus seu creaturis rationalibus, & accipitur rursus aut exotericè & sensu nonnullis scriptoribus usurpato, qui ἀκύρωσ eam interpretantur de divino, cum de servandis salvandisque fidelibus & electis, tum de rejiciendis & damnandis incredulis ac reprobis decreto; ut ita Prædestinatio sit electorum ad vitam, reproborum ad mortem, juxta jam §. 1. citatos autores: aut acroamaticè & sensu solis scripturis proprio, quibus credentium ad salutem æternam per ordinata media destinatione innuit, Rom. II. 29. 30. Eph. I. 4. 5. 11. Quæ postrema significatio nostri est instituti & presenti negotio accommodata.

§. 3. Hujus πολυώνυμα Prædestinationis sunt inter alia Electio & Inscriptio in Librum Vitæ.

Electio Græc. ἐκλογή, varia denotat. Nam (1.) Metonymicè & concretivè sumitur pro ipsis electis, Rom. XI. 7. (2.) Impropiè & κατὰ χρηστικῶς, pro approbatione & dilectione rei eximiæ, quia non nisi quæ probamus ac quæ cæteris præstant eligimus, ut Esa. LIX. 6. prout Christus Esa. XLIII. Et Angeli I. Tim. V. 21. electi appellantur. (3.) Propriè ac generaliter pro selectione seu separatione vel hominum, vel aliarum rerum ad certum sive usum, sive munus aut officium, cui responderet ἀφορισμός, Act. XIII. 2. confer Exod. XVIII. 25. Deut. XII. 14. C. XVIII. 5. I. Sam. XVI. 12. C. X. 24. Act. I. 24. Sicuti Apostoli fuere selecti à Christo præ cæteris hominibus ad Apostolatam, Luc. VI. 13. Job. VI. 70. & Christus dicitur electus ceu ordinatus hominum redemptor. I. Petr. I. 20. quam electionem officia-

lem distinctionis ergo appellamus. (4.) Specialiter, pro electione ut vocant *provinciali*, quando populi ac gentes peculiariter ad Ecclesiam convocantur *Deut. VII. 6. C. X. 15. C. XIV. 2. c. XXIV 18. Psal. CXLVII. 19. Rom. IX. 4. 1. Pet. II. 9.* (5.) Tandem specialissimè pro electione scilicet salutari atq; gratiosâ, h. e. separatione hominum, peccatorum quidem, at tamen converforum & finaliter fidelium ad gloriam æternam, *Matth. XX. 16. c. XXII. 14. Marc. XII. 20. Rom. XI. 5. Jac. II. 5.* Quam ultimam vocabuli acceptationem cum prædestinatione sumimus æquivolentem; nisi quod electionis vox discretionem quandam & respectum ad oppositum, scil. reprobationem involvat; prædestinationis verò vocabulum potissimum à fine seu termino sumtum videatur: Quæ tamen distinctio non impedit, quò minus promiscuè in sacro codice usurpentur. *Rom. VIII. 30. Eph. I. 4. 5. II. Theff. II. 13.* Aliàs prædestinationis vocabulo Ecclesia utitur frequentius, Electionis autem apud Paulum est usitatus.

§. 4. Sequitur *Inscriptio* (quæ h. l. Electioni seu Prædestinationi, uti antea diximus, synonyma) *in librum vitæ*, cuius fit mentio *Es. IV. 3. Phil. IV. 3. Apoc. III. 5. C. XVII. 8. C. XX. 12. 15. C. XXII. 19.* & qui sæpè ἀγεῖως atq; κατ' ἐξοχὴν *liber* appellatur sine additâ voce *vitæ*. *Dan. XII. 1. Exod. XXXII. 32.* Hic non est materialis ille, sacra Biblia, *Syr. XXIV. 32.* sed metaphoricus, de notitiâ DEI sumtus, catalogus nimirum salvandorum, quos Deus ex gratiâ propter meritum Christi fide finaliter apprehensum ab æterno ad vitam gloriosam elegit. Ut ita non ratione scribentis Dei, qui est vita, nec ratione materiæ quatenus in Deo vitâ essentiali scriptus est, sed tum ratione objecti, i. e. spiritualiter viventium & salvandorum, tum ratione finis & termini vitæ scil. æternæ denominetur. *Inscriptio verò in hunc librum nihil sit aliud quàm annumeratio inter electos, quos κατ' ὄνομα novit Christus atq; vocat ceu oves, Job. X. 3.* quos DEO Patri sistit ut in eis nihil inveniatur damnationis *Rom. II. 1.* Ac licet Form. Concord. ipseque Megalander Lutherus Christum vitæ Autorem, quatenus fundamentum est specialis providentiæ divinæ, & quatenus in eo facta est electio, idētidem librum vitæ appellare soleant, haut tamen ita præcisè & formaliter loquuntur, sed per metonymiam causæ pro causato; Neq; enim Christus liber scriptus appellari potest, sed scri-

scri-

scriptionis causa meritoria: neq; in extremo iudicio Christo dicitur aperiendus, sed liber vitæ dicitur aperiendus, quia is Judex aperiens est, *Apoc. XX. 12.* neque tandem soli Christo, sed & Patri & Spiritui Sancto propter opus ad extra, quod librum vitæ scripserit, hæc denominatio, ut liber vitæ dici possint, competet.

§. 5. Sunt & voces aliæ cognatæ: *Præscientia, Propositum, Beneplacitum, Voluntas, Consilium DEI*: quæ tamen non sunt simpliciter ipsa Electio & Prædestinatio, sed suo modo ab eadem distincta. Scilicet *Præscientia* sive Prævisio est, quæ DEUS ante omnia quàm fiant prævidet ac præscit, tum bona, tum mala; non, quòd ipsi aliquid sit præteritum aut futurum, sed κατ' ἀνθρώπου παίδειαν & συγκατάβασιν loquendo: *Electio* verò tantummodo ad DEI filios dilectos & electos referenda. Illa est actus intellectus: Hæc voluntatis divinæ. Illa in nudâ rei, ut per se est, cognitione consistit, neque causam præscitam continet: hæc simul causa est eorum quæ circa occupata. Et ut addam verba Augustini lib. I. de Prædestinatione sanct. c. X. *Prædestinatio sine præscientiâ esse non potest: Potest autem esse sine prædestinatione Præscientia.* Sic Propositum, Beneplacitum, Consilium, Voluntas, sunt decretum de causis & modo salvandi, secundum quod prædestinatio est facta, *Eph. I. 11.* Et differunt ab eâ, tanquam regula seu Norma à normato, & ratione ordinis, ceu prius à posteriori, *ibid. v. 5. 9. 11. Rom. II. 29. II. Timoth. I. 19.* Ita tamen ut hæc iterum quandam inter se diversitatem ordinis involvant; ut primò DEUS aliquid velit, de volito, deinde propositum vel consilium ineat, tandemq; decernat, & in eo beneplacitum habeat. Ubi juxta notandum, Propositi, Voluntatis, Decreti, Consilii &c. attributa in DEO non ut in hominibus, vel affectum vel modum, vel ἡγάθη μὲν λόγῳ ὀρεξίν, sed ut Damascenus loquitur, δύναμιν νοταρε πνευματικὴν, συνεκτικὴν, ποιητικὴν, essentialem videlicet virtutem, quæ DEUS tum in genere singulas actiones aut consilia vel vult, vel efficit atque regit, vel averfatur, impedit, atque in finem bonum dirigit: tum in specie electorum salutē vult, curat, ordinat, absolvit.

§. 6. Atque hæc de nomine potissimum. Quid Rei, seu Definitionem, sub istâ verborum formâ proponimus: **Prædestinatio sive electio est ordinatio seu actio immanens æterna, merq;**

reque; gratuita voluntatis divinæ, eligentis propter universale meritum atque intercessionem Christi, juxta prænotationem & propositum, aliquos homines à naturâ quidem corruptos, sed in Christum tamen perseveranter credituros ad vitam æternam, in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

§. 7. Definitio causalis est, Genus non omnibus idem. Quidam definiunt per Providentiam, quòd Prædestinatio circa tantum homines occupata, sit species providentiæ divinæ circa res creatas omnes ac singulas in genere versantis. Quod non adeò averſamur, siquidem & hanc ipsam esse DEI actionem constat. Quidam per decretum seu propositum, manifesta urgentes scripturæ dicta, *Rom. II. 28. 29. C. IX. 11. Eph. I. 5. 9. II. Tim. I. 9. I. Pet. I. 2. Ast decretum DEI potius est forma & norma secundum quam sumus electi.* Quidam denique & magni nominis Theologi, per actionem, puta immanentem, sive ordinationem, vocibus ut videtur desumptis ex *Act. XIII. 48. Eph. I. 11.* Unde & Patres per vocabula actionem denotantia descripserunt, ut Augustinus per Præparationem gratiæ: Fulgentius per dispositionem &c. quoniam sic virtus DEI in salvandis nobis magis exprimitur, ut nihil nostris operibus adscribatur. Enimverò non magni admodum momenti est hæc discrepantia, neque tam de rebus quam de verbis instituta; & parum, imò nihil interest, quodcumque tandem Genus assumatur. Agendo enim Deus decernit, & decernendo agit. Res una dicitur per diversa vocabula, modo reliqua de doctrinæ hujus naturâ salva maneant & incorrupta. Istud tamen adhuc observandum, quemadmodum omnia decreta Dei sunt æterna, ita quoque prædestinationem esse quidem æternam, sed non nudum decretum, cujus executio fiat in solo tempore, vel quæ cum cæterarum rerum ortu demum existere incipiat, quomodo executio decreti vocationis & sanctificationis tantum in tempore fit: *Job VI. 39. Rom. IX. 25. 26. 27.* Sed est actualis & æterna credentium ab incredulis quasi præseparatio, facta ante & extra tempus, h. e. antequam omnes tam visibiles quam invisibiles creaturæ jussu DEI fuissent, ut expressè scriptura demonstrat, *Matth. XXV. 34. Rom. IX. 11. Eph. I. 4. II. Theff. II. 13. II. Timoth. I. 9. 10. Tit. I. 2. I. Pet. I. 20.*

§. 8. Dif-



§. 8. Differentia ab Efficiente, Modo, Objecto & Fine petitur. Efficiens princeps & interna est mera gratiosa & misericors DEI voluntas, secundum quam, prævisis lapsu, pectus ipsius *Φιλόστοργον* est effossum, ut miseræ ac miserandæ lapsorum hominum miseriam misereri voluerit, & actu ipso sit misertus, quæque omnium hominum merita sive per gratiam DEI, sive per naturam facta, excludit; Etiam fidem ipsam, quærenus consideratur ut conditio, magis vel minus digna sive per se, sive ex æstimo à DEO fidei superaddita. *Luc. XII. 32. Rom. VIII. 23. C. IX. 8. 11. 16. 30. seqq. Ephes. I. 5. 11. II. Tim. I. 9.* quò referri quodammodò etiam poterit locus *Deut. IIX. 7. 8.* DEUS autem hîc consideratur in essentiâ unus, in personis Trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ut ita Christus quoque non solum ut est Mediator & Redemptor nostri generis, sed ut verus DEUS essentialiter & causaliter cum Patre & Spiritu Sancto consideratus, includatur. Hæc causa universalis quidem est respectu intentionis Dei primæ, seu voluntatis DEI antecedentis, *I. Tim. II. 4.* sed respectu *ωργνώσεως* fit particularis, cum non omnes sint in Christum credituri, *Matth. XX. 16. C. XXIV. 14.* Falsum itaque est commentum, quòd Deus ob bona opera prævisa prædestinaverit ullos homines ad vitam æternam, confer *Rom. IX. 11. 12. 13. C. XI. 5. 6.*

§. 9. Cæterum cum de voluntate hîc DEI agatur, ut decretum hoc Electionis juxta propositum voluntatis factum esse loquamur, merito & in quæstionem venit, quænam illa sit voluntas, quæ non tam desideret, quàm absolvat hoc electionis beneficium. Optimè itaque tenendum duplicem dari respectum unius & ejusdem voluntatis divinæ. *Unum simplicem* quasi & universalem, quando ex intentione DEI se erga omnes *ἐπίσης* & ex æquo habet, *Rom. XI. 32.* Alterum *relativum & decretorium*, quando non tam ratione *ταίξεως* à Deo ab æterno constitutæ, quàm ipsorum hominum actu *ταίξιν* illam admittentium vel aspernantium consideratur. Ille Patribus orthodoxis *antecedens*, iste *consequens voluntas* (neutra tamen absoluta, sed utraqve ordinata ad certa media) sivevit appellari. Illa ex creatione ad imaginem Dei, *Gen. I. 27. C. V. 1. C. IX. 6. Sap. II. 23.* Ex Missione Filii & communi Redemptione, *Esa. XXXIII. 6. Joh. I. 29. Rom. V. 18.*

B

II. Cor.

*II. Cor. V. 15. I. Tim. IV. 10. I. Job. II. 2.* (quæ notæ omnes ac universos  
 includunt.) *Rom. XIV. 15. I. Cor. IIX. II. Ebr. X. 29. II. Pet. II. 1.* Ex voca-  
 tione per verbum & sacramenta eorumque beneficiis, scil. justifica-  
 tione & sanctificatione, *Matth. XXVIII. 19. C. IX. 28. Marci XVI. 15.*  
*Actor. VII. 30. Rom. X. 18. Coloff. I. 6. 23. I. Tim. II. 4. Tit. II. 10.*  
 determinatur & est voluntas non simulata, sed seria, *Esa. V. 7. 4. cap.*  
*LV. 2. Matth. XXIII. 37. Luc. XIII. 34. C. XIX. 41. II. Cor. V. 20.* u-  
 niversalissimam DEI *Φιλανθρωπίαν* deque omnium hominum sa-  
 lute appetitionem denotans. Unde quoque voluntas gratiæ & mi-  
 sericordiæ solet appellari. Hæc autem particularis est, & deter-  
 minatur non solum per oblationem & collationem prædictorum  
 beneficiorum ex parte DEI, sed etiã per finalem conservationem eo-  
 rundem beneficiorum: tum activam, per quam DEUS conservat in  
 Electis, quod cœpit, tum passivam, quòd Electi non committunt, ut  
 excidat eis finaliter quod acceperunt. Particularis autem dicitur  
 hæc voluntas, ut §. præcedente dixi, non in DEI mente, quasi illa  
 per hanc vertatur; sed per hominum immorigeram contumaciã,  
 & mediorem oblatores rejectionem, quocirca voluntatem justi-  
 tiæ nonnulli voluerunt nominare, quod ita tamen est intelligen-  
 dum, ut justitia cum misericordiã sciatur esse temperata; secun-  
 dum priorem illam electio minimè definienda, ut quæ ad omnes se  
 æqualiter extendit; sed secundum posteriorem, ex quâ duo decreta  
*ἀντιδιηρημένως* sibi opposita, Electionis & reprobationis emergunt.  
 Neque contradictoriè voluntas antecedens & consequens oppo-  
 nuntur, sed *ὑπαλλήλως* subordinantur, id quod ex multis respecti-  
 bus, qui utique voluntati ad se mutuò intercedunt, cognoscere licet.  
 Ubi enim illa definit, quid DEUS ab hominibus fieri velit: Ista con-  
 siderat, quid ab ipsis actu fiat vel non. Ubi illa fine suo non raro  
 frustratur: ista eum semper assequitur. Ubi illa vult omnes salva-  
 ri per fidem: Ista tantum aliquos salvari pronunciat, nempe perse-  
 verantes. Et quamvis jam illa sit universalis, attamen non absolutè  
 & simpliciter, sed determinatè, nempe sub conditione fidei vult sal-  
 vare omnes (ut supra simplex appellata sit ob exclusionem respec-  
 tûs ad homines se diversimodè habentes:) cui obtemperantes jam  
 per voluntatem consequentem saluti destinantur, obistentes per  
 eandem damnationi adjudicantur.

§. 10.

§. 10. Atq; hoc est, quòd, licet meram dixerimus DEI gratiam in negotio electionis, in collatione nimirum ad bona opera; non tamen merè absolutam eam pronunciemus. Est enim determinata & ad Christum restricta, inqve eo solidè fundata, qvi eandem nobis promeruit. Igitur causa impellens ac promerens est meritum Christi verà fide apprehendendum. Nempe Christus ut constitutus mundi Redemptor & θεάνθρωπος est fundamentum electionis nostræ atqve basis. Cum enim genus humanum per lapsum damnationis æternæ reum esset factum, non potuit salvâ veritate & justitiâ vindicativâ fieri, ut humano generi salus obtingeret citra satisfactionem; nam non quidem est contradictio, si in se spectetur, peccata condonare sine satisfactione; at, referendo id ad justissimum DEUM, utiqve eam implicuisset *Gen. II. 17.*; Ideoqve fuit opus Mediatore inter duo extrema, DEUM læsum, hominemq; lædentem, per qvem denuò, soluto justitiæ divinæ redemptionis precio, coadunarentur, & hominibus salus communicabilis redderetur. Vicissim postquam DEUS, facto jam proposito κατ' ἐκλογὴν, de modo & mediis salutem consequendi in Christo communicabilem, participes illius reddere non voluit, nisi in Christum credentes: unde sequitur ἀφύκτως sine Christi Mediatoris meriti fide apprehensi intuitu communicationem vitæ nulli destinatum esse. Quod igitur Christus ab æterno *περὶ γεννηθέντος* *I. Pet. I. 20.* in conspectu DEI apparuit cum merito suo, *Ebr. IX. 24.* quasi actu à fidelibus apprehensus, DEOqve Patri veluti præsentem in se credituros sistit, movit eum, ut ex gratiâ ipsos ad vitam prædestinaret. Et sic meritum Christi, gratiæ misericordiæqve DEI eligentis, minimè est oppositum, sed subordinatum. In Christo sumus electi, non tantum ut in causa finali, ut in eo simus & vitam habeamus, sed & quod potissimum est, tanquam in causâ meritoriâ, *Ephes. I. 3. 4.* *II. ad Tim. I. 9.* Unde Christus appellatur fundamentum salutis nostræ unicum, *Act. IV. 12.* *I. Cor. III. 11.*, in quo nobis data est gratia, *II. Tim. I. 9.* & in quo ceu dilecto & grato, sumus electi & grati facti, *Ephes. I. 6.* & justitia DEI, *II. Cor. V. 25.*

§. 11. Quia verò DEUS in eligendis hominibus non adspicit solum miseriam nostram, quæ causa irritans Deum ad decretum con-

dendum rectissimè dicitur, quâ viscera ejus commoventur, *Marci*  
*VIII, 2.* & cor ipsius frangitur *Jer. XXXI, 20.* Neque etiam tantum  
 Christi *λύτρον*, quo ipse pro peccatis nostris satisfecit: sed etiam  
 fidem, quâ meritum Christi fiducialiter nobis appropriamus; idcir-  
 co non meritum Christi in se, sed ut fide apprehenditur, venit in con-  
 siderationem. Fides proinde causa est electionis instrumentalis seu  
 medium, per quod & secundum quod sumus electi, quod docet *Apost.*  
*II. Thess. II, 13.* quando nos in fide veritatis h. e. in verâ fide, & per ve-  
 ram fidem asserit electos. Non quod vel DEUS, vel nos, fide, ut in-  
 strumento, ad faciendum electionis decretum usi essemus, aut quod  
 per eam, ut qualiter vel opus meritorium salvemur; sed quod à  
 DEO nobis sit constituta & ordinata in medium *ἀντιληπτικόν* me-  
 riti Christi: Quoniam non dicimur electi propter fidem ut meritum;  
 sed per fidem ut medium & instrumentum, non offerens; qualia  
 sunt verbum Evangelii & Sacramenta, quæ virtute Spiritus sancti fi-  
 dem nobis donant, sed accipiens; ut rectè beatus Lutherus fidem  
 esse ajat, *manum mendici*, apprehendentem meritum Christi: Nec e-  
 nim fides ingreditur electionis hoc arcanum quatenus est aliquid in  
 nobis, nedum à nobis, cum sit donum DEI; sed quatenus egreditur  
 extra nos, Christum & ejus meritum apprehendit. Eadem fides non  
 debet esse *πρόσκαιρος* & temporanea, sed perseverans. Ulti enim sal-  
 vus erit, non qui credit ad tempus & postea desciscit, *Luc. VIII, 13.*  
 sed qui perseverat ad finem *Matth. X, 22. C. XXIV, 15. Marc. XIII, 13.*  
*II. Tim. IV, 7. 8. Ebr. III, 14.* quæ salus propterea *fidei finis* appellatur,  
*I. Pet. I, 9.* ita non est Electus nisi quem finaliter crediturum prævidit ac  
 præscivit DEUS. Dico, quem præscivit crediturum: Nam fides ut  
 est exercita & in actu, consideratur in justificatione; ut autem præ-  
 visa, in Electione, *Rom. VIII, 9. I. Tim. I, 16.* Hinc benè Augustinus  
 contra Jul. Apost. ait: Ex prædestinatis ad vitam nemo perit, quacum-  
 que moriatur ætate.

§. 12. Succedit causa materialis, h. e. objectum seu subjectum  
 occupans. Istud non est (1.) Christus ipse, qui vocatur interdum electus,  
 i. e. unicè dilectus & peculiariter DEO charo, ut supra §. 3. 1. imè verò  
 in æterno Dei consilio constitutus Redemptor. *I. Pet. I, 20.* à ut DEUS,  
 hic ipse est pars læsa; ut *θεάνθρωπος* autem, pro lædentibus satisfa-  
 ciens.

ciens. Neque (2.) angeli *Ebr. II. 15. 16.* qui partim nec sunt lapsi, partim lapsi quidem, Christum tamen Redemptorem non acceperunt, quibus itidem nec evangelium prædicatur, nec Sacramenta porriguntur ad remissionem peccatorum: Quantumvis etiam boni angeli electi nominentur, i. e. DEO accepti, quia in bono confirmati, supra §. 3. Neque (3.) omnes in universum homines, nisi catachresticè & improprie loqui velimus: Esset enim mera contradictio electos esse, & tamen omnes homines electos esse; vel ipsâ voce ajente. Sed (4.) potius pauci, non in se, absolute & simpliciter considerati, sed comparati reprobis, h. e. aliqui homines, scil. non ut creandi, quia decretum Prædestinationis consiliû creationis haud præcedit; neque ut creati, & in statu integritatis, quales erant protoplasti, conditi ad immortalitatem; sed post lapsum considerati in statu miseriæ, vocati tamen, justificati & sanctificati, quosque ab æterno intuitus est DEUS, saltem non rejecturos gratiam oblatam, quam admittere poterant, per prævenientem illam gratiam, vocatis omnibus communem, sed per eam ad finem usque in Christum credituros. Hi sunt objectum specificum & adæquatum Electionis. *I. Tim. I. 16. II. Thess. II. 13. Ephes. II. 1. 6. I. Pet. I. 2.* Neque est quod dicas, Augustinum & alios prædestinationis objectum statuere hominem adhuc vocandum: quippe illi ipsi considerant hominem in decreto DEI, tanquam non rejecturum gratiam vocationis si offeretur: ad quam oblationem omnibus ac singulis præstandam à suâ parte DEUS est paratus. *Act. XVII. 30. 31.*

§. 13. Forma & Norma secundum quam facta est Prædestinatio, quæque illi dat suum esse (ad quam etiam præscientia divina refertur, de subjecto media destinata recipiente vel non) est *θεσις*, propositum & decretum DEI, non legale; cuius summam habes *Deut. XXVII. v. ult.* Sed Evangelicum de procurandis mediis ad salutem necessariis; quæ uti extant in Concordiæ libro, ut Redemptio, Vocatio, Conversio, Justificatio, Sanctificatio, Conservatio in omnibus adversis, & finalis confirmatio usque dum sequatur tandem ipsa post vitæ finem glorificatio; quorum ne unum quidem excludendum est aut omittendum, quando de electione seu ordinatione ad vitam æternam agitur, vel quando quis inter electos censerî cupit, veluti porro ibidem proluxius po-

terit videri. Quamvis non omnia ista media sint propria & adæ-  
quata soli Electioni, sed quædam communia, ut priora 5. quædam  
Electis propria, ut posteriora 2. Lubens hîc annecto Beatum *Am-  
brofium sermone VIII. in Psal. CXVIII*: Sol justitiæ omnibus ortus est,  
omnibus passus est, omnibus resurrexit. Si quis autem non credit  
in Christum, generali se beneficio fraudat ipse, ut si quis clau-  
sis fenestris radios solis excludat.

§. 14. Denique Finis sub discussionem venit. Ille aut ex parte  
DEI, aut ex parte nostrâ consideratur. Ex parte DEI est gloria mi-  
sericordiæ suæ, veluti & *Eph. I. 5. 6. 11. 12. 22.* Ejusdemque gratiæ,  
quæ commendatur in justificatione nostri, *Rom. III. 24.* quam Pau-  
lus explicat, dum ait: Commendat DEUS charitatem suam erga  
nos &c. *Rom. V. 8. Confer Eph. II. 7. II. Pet. II. 9.* Ex parte autem no-  
strâ finis est vel secundarius vel intermedius, aliàs effectus dictus,  
& officium est electorum in regno gratiæ, sanctimonia nempe vitæ  
inculpabilis, *Eph. I. 4. Rom. VIII. 9.* ad quam cum fuerimus creati  
*Eph. IV. 24.* & ab eâ recesserimus per peccatum *Gen. 3. 6.* & reducti  
ad eandem per Christum *Eph. I. 5.* Igitur in eâdem nos decet vivere  
atque incedere, quomodo nos certè in Christo electos esse dicimus.  
Vel est finis primarius, & ultimus, aliàs terminus ad quietem dictus,  
estque possessio regni DEI & vitæ æternæ *Matth. XXV. 34. Act. XIII.*  
*48. Rom. VII. 29. 30. I. Thess. VI. 9. II. C. II. 13. I. Tim. I. 16.*

§. 15. Ne & nihil dicam de proprietatibus & adjunctis Ele-  
ctionis, breviter ea recensebo. I. Est Æternitas: *Electiois decretum  
est ab æterno.* Hujus veritas elucet ex supra dictis ad §. 7. quæ hîc  
repetantur. Hosce itaque falli & fallere, imò calumniari videmus,  
qui, audientes perseverantiam includi Electioni, mox inferunt, E-  
lectionem non esse æternam, sed post mortem demum fieri. Sicut  
enim fides, ita & perseverantia in fide, æternum electionis decre-  
tum non egreditur, prout jam actu est (cùm ante mundum, præter  
DEUM nihil fuerit) sed prout à DEO est prævisa. Unde rectius di-  
citur prædestinasse, quàm prædestinare.

§. 16. II. *Particularitas*: Electio non est universalis, sed particu-  
laris. *Matth. XX. 16. C. XXII. 14.* Quamvis enim voluntas & consilium  
DEI sit de omnibus omninò salvandis, atq; sic etiam eligendis, attam-  
en ipsa electio in actu, cum sit ordinata & ad certa media restricta,

re-

respectu hominum ipsorum, quorum causa est impietas & contumacia, non ipsa de Electione particulari doctrina est particularis. Pauci enim verbum DEi seriò recipiunt, eiqve verè ac sincerè obtemperant; multi recipiunt initio, postea se petulanter ab eodem avertunt. Confer *Hos. XIII. 9. Matth. XXII. 8. C. XXIII. 37. Luc. VII. 30. Act. VII. 51. C. XIII. 46.* Unde patet, nò esse prædestinatos, qui verbum Dei non audiunt, sed execrantur & persequuntur; qui ad auditum verbi corda sua obdurant; qui Spiritui Sancto reluctantur; & qui sine pœnitentiâ in peccatis perseverant.

§. 17. III. *Perseverantia*: Electi perseverant in fide, ergo & perire non possunt *Matth. XXIV. 24. Job. VI. 29.* labi quidem posse, & omninò labi, & gravissimè labi eos, experientia commonstrat, & scriptura testatur, cum in eos cadat peccatum contra conscientiam, *Ezech. XVIII. 26. Luc. XI. 24. Job. XV. 2.* ita verò labi, ut non redeant ad frugem, seqve non rursus ad DEum convertant, h. e. finaliter labantur, est impossibile *Job. X. 28. Rom. VIII. 38. Matth. XXIV. 24.* Si quidem tunc non essent in electorum numero, sed eorum tantum, qui ad tempus credunt, postea desciscunt & damnantur: Electorum autem inseparabile proprium atqve consequens est, *finaliter in DEi gratiâ permanere*: cum econtra renati & justificati totaliter etiam deficere & perire possint; neqve verò inde infringitur perseverantia, quando fidem amittere dicuntur ad tempus; cum non ad continuum credendi actum sive durationem fidei sine ulla interruptione, sed ad præsentiam fidei circa obitum & extremum halitum sit spectandum. Aliàs enim justus in die septies cadit & resurgit, *Prov. XXIV. 16.* Neqve obstat, quod electi de libro vitæ deletos & se cupiant, *Exod. XXXII. 32.* & impios, *Psal. LXIX. 39.* Nam, vel hypotheticè de se loqvuntur, si fieri posset; vel de deletione negativâ seu non inscriptionis ostensione de impiis agunt.

§. 18. IV. *Infallibilitas*: Electio est necessaria atqve infallibilis. Infallibilis est, non ex absoluto decreto, quo DEus juxta delectum militarem dixerit: Tu Johannes, Tu Petre, Tu Paule, &c. esto in Electorum numero; Tu verò Jacobe, Tu Georgi &c. non esto in eodem. Verùm partim ratione præscientiæ divinæ, quæ non fallitur, sed omninò certè novit ac prænovit, qui sunt credituri & qui non, *Job. X. 20. C. XIII. 18. II. Tim. II. 19.* nec proinde tamen rerum  
præ-

præscitarum fit causa : Partim etiam ratione decreti , quod firmum & immotum est, scilicet ut omnes finaliter & in Christum credentes sine *προσωποληψία* sint electi. Unde Thomas numerum Electorū DEO esse ait certum, non tantum formaliter, sed & materialiter, h. e. non solum qui sint, sed & quot sint Electi DEO notum esse. *Necessaria* dicitur non necessitate aliquâ fatali & absolutâ, & omnem mediorū ac remediorum ordinem excludente : verum tantum necessitate consequentiæ, & ratione causarum agentium, quæ sunt, gratia Dei, Christi meritum, Fides apprehendens, Fides perseverans : Unde sicuti hæc certitudo & immutabilitas ex suppositione decreti & præscientiæ divinæ *πρώτως ordinem, ἐπομένως* personas ut ingrediuntur eundem, respicit ; Ita nec hominem cogit, aut necessitatem absolutam infert, contingentiamve tollit. Quippe manet immotum : contingenter ac fortuito salvari pios, & damnari impios, si fortuitum seu contingens opponas absoluto & fatali ; quoniam potuissent improbi salvari materialiter, si mediis salutis reliquissent locum, uti & ii, qui electi sunt, damnari, si sprevisent ea quibus salvantur.

§. 19. V. *Certitudo* : Electi possunt esse certi de suâ salute. Et enim sicuti de alterius salute, infantium quidem baptizatorum simpliciter, adultorum verò conditionaliter, si in fide manserint, esse certi possumus ; Ita omnino & vel potius quilibet electus de suâ ipsius. Novit enim, DEUM neminem absoluto decreto damnationi decrevisse vel devovisse : novit, DEUM non ad singulares & in individuo absolute volitas personas, sed ad credentes, quicumque illi sint, electionis arcanum direxisse : novit Spiritus sancti virtute custodiri omnes ad finem usque per fidem ad salutem, modo ipsi non repugnent & ipsius gratiæ obstinate resistant : Novit denique, DEUM vi promissionis suæ fidelem esse, & hinc conservaturum nos in bono *I. Cor. I. 8. 9. C. X. 13.* atque effecturum, ut nec mors nec vita nec ulla creatura separare nos possit à dilectione, quæ est in Christo JESU, *Rom. VIII. 39.* Quoties ergo quisque media sibi à DEO præscripta & oblata non respuit, sed acceptat ac benè colloeat, de salute suâ certus, imò certissimus esse potest.

§. 20. Ha-



§. 20. Hactenus de Prædestinatione salvandorum, nunc etiam nobis de oppositâ eidem Reprobatione damnandorum *ἀπεβιάδι-κως* subnectere aliquid visum fuit. Redarguendi autem initio sunt illi, qui Reprobationis vocem extra Ecclesiæ pomeria relegandam esse statuunt; *τὸ* eligere DEI proprium, non verò reprobare asserentes: quandoquidem non manifestis duntaxat scripturæ dictis contradicunt, sed & rationibus inde deductis palpabiliter repugnant. Si etenim pauci electi *Matth. XX. 16.* si multi in extremo iudicio non assumuntur, sed relinquentur, *Matth. XXIV. 4. Luc. XVII. 34.* si quàm plurimi ad interitum spaciosâ & amplâ currunt viâ, *Matth. VII. 13.* si Christianorum quidam resipiscunt & servantur, quidam in peccatis permanent & moriuntur; sequitur invictissimè, DEUM *ἐπιπομπήν* voluntate quosdam ad vitam eligere, quosdam verò prorsus reprobare, vide *Ps. XXI. 9. 10. Ps. XCIV. 23. Ezech. XXXIII. 19. Matth. XXV. 46. Job. III. 18. II. Thess. I. 6.*

§. 21. Usurpatur autem vox Reprobationis aut in generali, aut in stricto significationis sensu. Generaliter accipitur pro quacunqve rei cujuslibet inutilis ac nullius momenti reprobatione, vel rejectione, quemadmodum sumitur *Jer. II. 30. Ebr. VI. 8.* Strictè verò significat certarum tantùm creaturarum, puta hominum, veluti qui frugi esse nolunt, rejectionem: atqve dupliciter vicissim sumitur; vel etiam indicat reprobationem à gratiâ, quando DEUS gratiam suam & misericordiam his in terris sæpissimè spretam jure merito contemptoribus ejusdem ad tempus aufert, *Matth. XXI. 42. 43. Luc. XVII. 22. Job. XII. 39. Rom. XI. 10. 20.* vel à gloriâ, quando quis ipse suâ culpâ & hanc sequente justo DEI iudicio & poenâ ad æternum damnatus, ad horrendos eosqve nunquam finiendos cruciatus infernales rejicitur: quæ aliàs in scripturâ *prescriptio ad iudicium olim facta*, in epist. Judæ: & constitutio ad iram, *I. Thess. V. 9.* vocatur, de quâ jam est sermo.

§. 22. Unde patet, etiamsi vox Reprobationis ipsa sit *ἀρεσφ* eo videlicet sensu, quo à scriptoribus ecclesiasticis usurpatur, attamen res ipsa per vocabula Synonyma satis & sufficienter scripturæ inest; Et imprimis nomen *ἀδόνιμ* *I. Cor. IX. 27. II. Cor. XIII. 5.* id egregiè præstat, quod vulgata Latina Reprobum vertit, petito si-

C

mili

mili à terra, spinas proferente ac tribulos, ut reprobi sint, qui salutare verbi DEI semen temerè adspersando, ejusque fructum per spinas impietatis ac incredulitatis impediendo, tandem *εις καυσιν* abjiciuntur, *Ebr. VI. 8.*

§. 23. Definimus eam hunc in modum: *Reprobatio est ordinatio vel actio externa, immanens voluntas divina, quæ ex justâ suâ irâ morti æternæ adjudicare constituit eos omnes, quos tùm Satanae tùm & propriae malitiæ operatione, in incredulitate & peccatis ad finem vitæ perseveraturos cognovit, ad declarandam suam quâ gloriam & potentiam, quâ justitiam & iram.*

§. 24. Quæ Descriptio, vel potius Definitio non est ut à nobis pluribus explicetur, cum ex præcedente prædestinationis declaratione satis clarescat. Ibi enim, sicuti de misericordiâ DEI mentio facta est, hîc econtra fit mentio de ejusdem justitiâ & potentiâ: sicut ibi de merito Christi fide apprehenso agitur, hîc de eodem pedibus conculcato & abjecto: quando ibi de hominibus in Christum perseveranter credituris sermo est, hîc de peccatoribus & incredulis contumacibus: quando ibi de salute, hîc de damnatione æternâ loquimur. Tantùm adhuc istud adjicimus: ne in causas Reprobationis inquireres, DEUM eo modo quo Electionis causa est, & Reprobationis causam esse statuamus. Nam & ratione efficientis, & ratione finis, & ratione mediôrû causa DEÛ est prædestinationis: At verò Reprobationis causa efficiens dici nullo modo internæ causalitatis potest. Sed vera illius causa est in ipso homine, nimirû contumax gratiæ in Evangelio oblatae contemptus & incredulitas. *Hos. XIII. 9. C. IV. 6. Luc. XIV. 24. Act. XIII. 45. Rom. VI. 20.* Neque tamen proinde ociosus est Reprobationis spectator, sed ut justus judex homines inconvertibiles deserit, *Matth. X. 14. Luc. XVII. 22. Job. XII. 35. Apoc. II. 5.* indurat sive exæcat suspensivè, seu non continuando gratiam: *Job. XII. 37. Act. XIV. 16.* temporaliter punit, *Exod. XX. 5.* & tandem æternæ damnationi adjudicat, *Marc. III. 29. Job. III. 36.* Hinc & per actionem placuit nobis Eam definire, sed non ita strictè, ceu media per quæ reprobatio fiat à DEO per influxum in homines deriventur, sicut prædestinationis media.

§. 25. Hæc

§. 25. Hæc in *deor* orthodoxâ de articulo isto gravissimo breviter dicta sufficient; quæ uberiùs quidem tractari potuissent, nisi & doctiorum plura exstarent, & pagellæ nimis exerescerent. De Heterodoxia, alio tempore, juvante DEO, cui jam gloriam tribuam æternam.

AMEN.

*Ad Præstantissimum*

**Dn. Magistrum Respon-**  
dentem,

*Amicum suum charissimum.*

**H**Em! cupis æternis Jovæ decreta reclusâ  
Rimari seclis? An tibi surget honos?  
Sic reor: haud sequeris cœcæ rationis acumen,  
Esacro promens Codice dogma sacrum.  
Maçte tuis ausis? dii queis aura favoris  
Aspirans, studium provebat omne Tuum.  
Sic grandæva Patris revirescent ossa benigni!  
Præmia sic capies digna labore sacro!

f.

**M. JOHANNES MAUKISCH,**  
SS. Theol. Bacc.

**N**onne times calvos, Eichorni oculissime, fra-  
tres?

Qvos tua, ni fallor, tmemata sacra petunt.

Verum qvi timeas, cum sis munimine verbi

Divini solidè cinctus utruniqve latus.

Ergò sibi metuant ipsi, tu codice sacro

Innixus cuncto tempore victor eris.

*Congratulationis ergò*

*apponebat*

**M. GEORGIVS Lehman.**



M. JOHANNES MALKISCH,

22. Theol. Bacc.

Coll. Diss. A 182, weise 16